

vel ipsam vel opinionem ejus affectandam, sequitur. Sequitur & hoc; quò quis majorem sapientiae, cognitionis DEI, autoritatis, omnisque gratiae mensuram habet, eò studiosius omnem maculam & speciem quoque mali evitandam esse. Quò pertinet Matth. 5: 13. Ad confirmandas tres postremas causas impediens fructum sapientiae, evidentiae causa connexas eodem ordine, totidem versiculis tres rationes subjiciuntur:

v. 2.

aa. à contrario ingenio sapientis & stulti. *Cor sapientis ad dextram ejus, stulti ad laevam ejus* situm est. v. 2. hoc est, affectus sapientis tendit ad id, quod bonum, honestum & rectum est; stulti ad prava & mala. *Dextrum* pro justo & concinno: *Laevum* pro pravo & inepto ponitur. Sic δεξιόν pro δρεσών, contra ἀριστερόν & σκαιόν abominabile & perversum significat. Nam quod dextrae se offert, id est εὐχερὲς, & εὐμετὰ χεῖρας; quod ad laevam, id molestum, incommodum, intractabile, ineptum & importunum est. Ideò quod sua natura χείρην καὶ προσφιλές, id δεξιόν: quòdque contrarium est, id σκαιόν dicitur. Is igitur cor ad dextram habere videtur, qui intentus est δεξιότης: ad laevam, qui σκαιότης. *Mentem laevam* dixit Virgilius à commoditate & utilitate averfam, & ad stultas opiniones converfam. Quoniam verò stulti, qui fidunt vanitati, pravis & perversis intenti sunt, nihil proficere apud ipsos clamorem principis, multò minùs sermones sapientum, (quod v. 17. cap. 9. dicebatur) minimè mirum est.

v. 3.

bb. à stultorum praesumptione sive bonorum abusu atque ineptitudine ad ea possidendum. *Atque etiam in via cum stultus vadit, hoc est, cum ei, qui vanitate delectatur & fine ratione agit, ad voluntatem citra impedimentum omnia eveniunt, cor ipsius deficit, et dicit omnibus, hoc est, de omnibus: stultus est: solus sibi videtur sapere, ceteros irridet & contemnit.* v. 3. Nihil igitur mirum, ejusmodi hominem multum boni, quod aliorum sapientia comparatum fuerit, prodigere & destruere suo peccato & stultitia. ut est v. 18. c. 9. Phrasis Hebraica hic convenit cum Gen. 20: 13. *dic mihi, frater meus est, & Es. 41: 7. discit glutino: bonum est.* Ultimum membrum & aliter accipi potest. *Dicit omnibus, se stultum esse, hoc est, omni actione, ipso a deo gestu & incessu prodit suam stultitiam. quo designari potest successuum & omnis εὐθυρίας καὶ εὐμαρείας* (Nam quid facilius, quam per viam inceder e?) *abulus. Summa: stultus ad bona,*

bona,